

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7564

Autre(s) référence(s) : Round 819

Auteur(s) : Ælred, Rievaulx, Sainte-Marie (abbé)

Bénéficiaire(s) : Lambert de Morimond, Saint-Nicolas-lès-Cîteaux, Notre-Dame de Cîteaux (abbé)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : [1155, avril-1161, septembre]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Député par l'abbé et du chapitre de Cîteaux, A[elred], abbé de Rievaulx, rend la sentence sur le différend survenu entre les abbayes de Savigny et de Furness (en Angleterre) au sujet de la subordination de l'abbaye de Belland. Il déclare que l'abbaye de Furness n'a aucun droit sur l'abbaye de Byland

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Documents relative to the abbey of Furness, extracted from the archives of the abbey of Savigny, The Journal of British Archaeological Association*, 1851, n° V, p. 423-424.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 819, p. 297.

Dissertation critique

Ælred, abbé de Rievaulx, 1147 – 12 janvier 1166 ou 1167 ; Lambert de Morimond, abbé de Cîteaux, avril 1155 - septembre 1161.

Texte établi d'après a

Venerabilibus in Deo dilectis dominis et patribus L. abbati et universo sancto capitulo Cisterciensi, frater A. servus fratrum qui sunt in Rievall, debitam subjectionem et obedientiam. De causa inter dominum Ricardum abbatem Saviniacensem et dominum Johannem abbatem Furnesiensem, pro monasterio Bellelande, quam nobis vestre Sanctitatis delegavit auctoritas, vocatis venerabilibus patribus et coabbatibus nostris diligenti sollicitudine et cura tractavimus. Auditis autem intente utriusque partis rationibus, cum de loci donatione et abbatis subjectione contenderent, dominus Furnesiensis locum sibi ex donatione, quam suis monachis factam dicebat, abbatis autem subjectionem ex filiali reverencia, quam sibi persere, ut ipse affirmabat, idem abbas exhibuerat, vindicare laborabat. At abbas Savigniagensis manifestam donationem loci ab initio domui sue factam et in generali capitulo Savigniagensi presentatam, consilio que ejusdem capituli susceptam asserebat. Sed et Geroldum abbatem primum ejusdem loci, qui monachus fuerat Furnesiensis, consilio et providentia ipsius annui capituli domui Savigniagensi concessum et datum ad ipsius loci regimen affirmabat. Adjecit insuper predictum abbatem in ipso capitulo, quasi specialem subjectum abbatis Savigniagensis curam ipsius domus suscepisse et in ipsa subjectione usque ad obitum

suum perseverasse, ipsumque qui nunc est, Rogerium scilicet, predecessoris sui vestigiis hactenus inheruisse. Hac igitur allegatione cum domini Furnesiensis rationibus obviasset, et auctoritatem capituli generalis, cujus diffinitioni vel dispensationi vel iudicio nulli abbatum aut monachorum suorum fas erat tunc temporis obviare, validis rationibus ostendisset, diligenter pro modulo scientiole nostre que ab utrisque proposita fuerant estimantes et examinantes, per ea que a domino Savigniacensi proposita sunt, si probarentur, ea que allegaverat abbas Furnesiensis infirmari posse censuimus. Proinde, cum dominus Furnesiensis nullos sue assertionis testes idoneos haberet, testes quos dominus Savigniacensis de his que affirmaverat producebat, quoniam idonei ipsius etiam abbatis Furnesiensis testimonio inventi sunt, audiendos et suscipiendos existimavimus. Igitur subjectionem abbatis Belle Lande domui Savigniacensi adjudicavimus, domino Furnesiensi hanc sententiam cum omni humilitate et benevolentia sustinente. Interfuit autem dominus Godefridus abbas Geroldonensis, quem loco abbatis Waverlensis pro iudice pars utraque susceperat. Affuerunt etiam dominus Ricardus abbas Fontanensis, Gillebertus de Holanda, Robertus abbas de Novo monasterio, Radulfus de Parco, Gillebertus de Besingwert, Philippus de Sancto Laurentio, Alexander de Kirchestal, Robertus de Wida, Adam de Melfa, Helias de Ruthfordia, Johannes de Jurivallibus. Affuerunt etiam Turstinus prior Rievallis ; Mauricius, Galo, Daniel, monachi Rievallis ; Ricardus, Robertus, monachi Savigniacenses ; Walterius, Ricardus, monachi Furnesii ; Robertus, Landricus, monachi Bellelande ; Robertus, Alanus, Ricardus, monachi de Fontibus ; Alanus de Revesbe et alii plures.